

et Amen amen dico uobis, post hac uidebitis coelum apertū, & angelos dei ascendentes & descendentes super filium hominis.] Maximè potens est prophetia, & efficacior miraculis ad alliciendū quosdam ad fidē. Dæmones enim etiā possunt miracula simulare & apparēter facere: præscientiam autē futurorum, & prædictionem euidentem nullus habet, neq; angelus, & quanto minus dæmones. Ideo & Nathanaël dominus attraxit dicēs ei locū, & quod locutus esset ei Philippus, & quod uere esset Israëlita. Nathanaël igitur auditis illis, sentire coepit magnitudinem domini, quantū tunc possibile erat, & fatetur illum filiū dei. Veruntamen quamuis filiū dei fateatur, non tamē sicut Petrus. Nā Petrus quidem cōfessus est filiū dei, ideo & beatus prædicatur, & ecclesia ei concredit. Nathanaël uero ut hominē nudū quidē eū fateē, gratia autē propter uirtutē adoptatū in filiū dei: & hoc manifestū ex eo quod subditur, Tu es ille rex Israël. Vides quod nondū uenerat ad pfectā cognitionē ueræ deitatis unigeniti. Etenim quasi amicus dei, & quasi regē Israël eum credit esse, quod si uere eū deum esset confessus, non dixisset eū regem Israël, sed regē uniuersi. Vnde nō prædicatur beatus, sicut Petrus, & dominus corrigēs eum, & inducens ad cognoscendū quiddā dignū sua deitate, Videbitis (inquit) angelos dei ascendentes & descendentes super filiū hominis. Ne enim (inquit) suspiceris nudū hominē, sed dominū angelorū: cui enim angeli ministrant, is utiq; non fuerit purus homo, sed uerus deus. Porro hæc in cruce & ascensione euenerūt. Nam & ante tempus passionis angelus de coelo cōfortauit eū, & in sepulchro uisi sunt angeli, & in assumptione, sicut Lucas prodit. Sunt qui per sicū intellexerūt legem, quasi fructū habentem ad tempus dulcē: asperitate autē legalium obseruationū, et difficultate mandatorū, quasi folijs obtectā. Dicūt igitur, quod Nathanaëlem dominus uiderit, & intellectū eius illustrarit, quamuis adhuc sub lege esset. Tu autem & hoc scies, si quid & hæc arrident, quod Nathanaëlem dominus uidit adhuc sub lege existentem, hoc est intra legē, & profunda legis scrutantē. Nam si non esset scrutatus profunda legis, neutiquā uidisset eū dominus. Scias autē & hoc, quod Galilæa interpretatur deuolubilis. Exiuit igitur dominus in deuolubilē huius mūdi regionē, uel etiā humanā naturā: & nos sub sicū sumus, hoc est, peccato dulci, cui & non parum amaritudinis adest, propter poenitudinem & iudicia sequutura. Sicut misericors uidet ac eligit eos, qui fatentur ipsum filium dei & regem eius Israël, qui uidet deum. Et si quidem studium adhibuerimus, & maioribus nos dignabitur spectaculis: & uidebimus angelos ascendentes quidem ad summam cognitionis dei: descendentes uero iterum, incognibilem eius substantiam deprehendere non ualentes. Vel aliter: Ascendit quis, quando uersatur in sermonibus de deitate unigeniti: descendit autem, quando tractare gaudet sermones de incarnatione & descensu in infernum.

CAPVT II.



T die tertia factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, ac discipuli eius ad nuptias. Et quum defecisset uinum, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi mulier? nondum uenit hora mea.] Vocant ad nuptias dominū, non quod uiderint miracula, uel aliud quiddam magnum: sed simpliciter uocant, ut notum, unde hoc significans Euangelista, dicit: Erat autem mater Iesu & fratres eius ibi. Igitur sicut illam & fratres, ita & Iesum uocauerunt. Affuit autem ipse, & uocationem non repulit: quia non respexit ad domum dignam, sed ad utilitatem & beneficium nostra. Nam qui non dedignatus est fieri seruus, multo magis non dedignatus est uenire ad nuptias. Exhortatur autem illum mater, ut magnum faciat miraculum, habens opinionem suā erga illum potestatis, tam ob conceptionem, quā ob partum. Omnia enim cōseruabat in corde suo, & ex illis cogitabat filium aliquid posse supra hominem. Neque enim mater eius, ut oraret deum ad faciendū aliquod miraculum, ex alio quod prius uiderat, facere inducta est. Nam quum puer esset, nullum fecit miraculum: quia si fecisset, notus fuisset omnibus. Audiuerat autem mater de testimonijs Ioannis.

quæ de ipso testata, uidebat' que iam & discipulos ipsum sequentes, & ex his omnibus coniectabat uirtutem filij. At ille increpat eam non absurde: dicit enim, si non adest uinum, oportet illos ipsos quibus deest, accedere & rogare, & non te matrē. Nā quādo horum tantū domesticis, scandalum fit uidentibus: quando autem hi rogant, qui opus habent, suspitione res caret. Cæterum dicēs, Nondum uenit hora mea: non uult quod obnoxius sit necessitatibus temporum, uel horas obseruet: quomodo enim hoc dicere possemus de factore temporum & seculorum? sed quod omnia tempore congruo operentur. Igitur quoniam adhuc incognitus erat & occultus multis, & nondum omnes habebat discipulos, & neque hi qui in nuptijs erant, eum agnoscebant; nam alioquin ipsi accessissent, & rogassent pro uino: & quia hæc omnia ita se habebant: Nondum (inquit) uenit hora mea: hoc est, opportunum tempus nondum adest. At hic adhuc urget Arrius furor, qui monstrare nititur dominum horis & temporibus subditum. Disce igitur o maledicte, quod si fuisset horis & temporibus subiectus, quomodo postea fecisset miraculum? Oportebat enim secundum tuum sermonem, quoniam seruit horis & temporibus, Nondum autem uenit hora eius, ne possit miracula facere: sed miraculum fecit, non igitur seruit horis. Vide autem oro, quomodo non usque ad finem, neque per omnia resistit matri: sed quum eam parum perstrinxisset, iterum preces eius implet honorans illā, & nobis dat formam reuerentiæ erga parentes.

Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit uobis, facite. Erant autem ibi hydræ lapideæ sex positæ secundum purificationem ludæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydras aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis: Haurite nunc, & ferte architriclino. & tulerunt. Ministris dicit mater: Quicquid dixerit uobis, facite: atque ita quā maior fieret petitio, quumque accessissent & illi, ac petissent, ut monstretur, quod non infirmitatis fuerit repulsa: sed ne uideretur accurrere & festinare ad miraculorum operationem, propter ostentationem & uanam gloriam. Lapidææ autem hydræ ad purificationem ludæorum aderant. Iudæi enim ferme singulis horis abluebantur, & sic comedebant: ut si tetigissent leprosum, uel mortuum, uel rem habuissent cum muliere, se lauant, quasi immundi forent. Et quum Palæstina in aquosa sit, nec ubique inueniuntur fontes, implebant semper hydras aqua, & ita non currebant ad flumina, ne forte immundi fierent. Non temere igitur dixit, secundum purificationem ludæorum. Sed ne infidelium quidam suspicarentur, quod mansissent in ea uindemiæ quædā reliquæ, & dein aqua infusa, & uinum deinde tenuissimū: ostendit quod nunquā illa fuerint uini receptacula. Iam, num potuit etiam absque eo quod impleteretur hydria aqua, creare uinum ex nihilo? Potuit quidem, sed sæpe obest magnitudo ne miracula creditu sint facilia. Interim hoc accedit, ut testes miraculi fiant ministri, qui aquam infuderant hydrijs. Insuper ut discamus, quod ipse sit ille, qui & in uite liquorem aquæ in uinum conuertat. Iubet autem ministros, ut architriclino gustandum exhibeant. Non immerito, sed ut ne suspicentur quidam, quod ebriorum conuentus fuerit, quorum gustus corruptus esset, & qui ebrietatis uitio existimarēt aquam uinum. Ne igitur locum haberet talis suspicio, iubet gustandum dari architriclino, qui sobrius erat. Etenim ij quibus tale concreditum est ministerium, magis sobrij sunt, ut eius iussu omnia quæ illic ordinate fiāt & compositæ. Cæterū oremus, ut hæc in nobis quoque impleantur etiam nunc: nempe ut fiant nuptiæ, hoc est coniunctio dei cum anima nostra, quādiu sumus in Cana Galilææ, loco inquam inferioris huius & deuolubilis mundi, eius qui rotatur & rotat alia. Nuptiæ illæ non fiunt sine præsentia Christi, & suæ matris, & discipulorum eius. Nisi enim quis crediderit in Christum, qui natus est ex Maria uirgine, & locutus est per apostolos: quomodo coniungetur deo? Sciamus igitur quid miraculi operetur dominus in talibus nuptijs, & in tali coniunctione dei ad animā. Aquam in uinum conuertit, & sex nostras lapideas hydras implet. Per aquam tu quidē intellexeris dissolutionem nostram, & molliciem in uia ac doctrina: per hydras uero sex, quinque sensus, per quos in operibus labimur: & sextam hydriam, rationalem uim, per quam in doctrinis periclitamur. Itaque dominus noster Iesus Christus, uerbū in quā

Euangelicum,

Euangelicum, nostros sensus, siue in uirtute practica, siue contemplatiua, si quid in eis aqueum & resolutum, in uinum conuerit lapidum, & latificans uitam & sermonem, atque ita implentur sex hydræ nostræ bono hoc poculo: sensus scilicet, ne in operatiua ui labamur: & ratio, ne in praua incidamus dogmata. Obserua autem, quod & lapideæ hydræ propter purificationem Iudæorum stabant illic. Nam Iudas quidem dicitur confessio, purificatur autem qui poenitet per quinque sensus, quibus prius peccarat. Oculi male uiderat, sed oculus iterū lachrymas in confessione profundit, atq; ita seruit purgationi. Audiuit auris uerba meretricia, sed iterum se inclinat ad uerba oris dei: ita & in alijs sensibus. Sic & rationalis uirtus in dogmatibus peccat, sed iterū mūdāt priorem malitiā quādo ad pia dogmata redit. Cæterū lapideæ hydræ ideo sunt, uel qd ex terra formati sumus, uel quod solida receptacula talis uini esse oporteat, & nusquam futilia. Lapidæ hydræ erat Pauli rationalis uis, etiā quando persequabatur. Zelator enim erat *Gal. 1.* paternarum traditionum super omnes coætaneos. & quando prædicabat. Tantam enim uim uerbi habebat, ut à Lycaonibus Mercurius crederetur, utpote dux uerbi.

Postquā autem gustasset architriclinus aquam in uinum uersam, neque sciret unde esset, sed ministri sciebāt qui hauserant aquam, uocat sponsum, & dicit ei: Omnis homo primo loco bonum uinum ponit: & quum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu seruasti bonum uinum usq; ad hoc tempus? Architriclinus non ministros, sed sponsum interrogat. Quare: omnino iuxta diuinam prouidentiam. Nam si ministros interrogasset, utiq; miraculum reuelassent, & nullus eis credidisset. Initium enim erat signorum, & nullus adhuc opinionem talem habebat de Christo: atque ita ministris narrantibus miraculum hoc, nullus credidisset. Igitur postquā & alia signa ostensa sunt, credibile & hoc futurum erat: & paulatim ministri omnibus hoc enarrantes, fideles habitū fuerunt. Idcirco ordinauit dominus, ne ministri interrogarentur, sed sponsum. Porro non simpliciter fecit uinum, sed & optimum. Hæc enim quæ per miracula Christi facta, multo meliora his quæ per naturam fiunt. Et quod aqua factum sit uinum, testes sunt ministri qui hauserant aquam: quod uero optimum fuerit, architriclinus testatus est: quæ sanè omnia, procedente tēpore, prædicata, credibiliaq; facta sunt audientibus. Potes autem intelligere & uinum quidem sermonem Euangelicum, aquam, autem omnia quæ ante Euangelium. Liquidiora enim & insipidiora erant, & ad illius perfectionem non peruenientia. & ut dicam aliquid exempli gratia: Dominus homini uarias leges dedit, unam in paradiso, secundam tempore Noë, tertiam sub Abraham, nempe circuncisionem, quartam per Moysen, quintam per prophetas. Omnes igitur illæ si conferantur cum Euangelij euidentia & uirtute, aqueæ sunt, si quis eas simpliciter & ad literam intelligat. Quod si quis spiritaliter incedit, & intelligit abscondita, inueniet aquam mutatam in uinum. Nam quæ simpliciter dicuntur, & ad literam intelliguntur, multis omnino aqua sunt: qui autem spiritaliter dijudicat, inueniet uinum optimum postea bibendum & seruandum à sponso Christo: quandoquidem & in extremis temporibus monstratum est Euangelium.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius. Quod dominus signa operari cœperit post baptismum, & prius quidem diximus: uidetur autem & hoc signum primo fecisse. dicit enim: Hoc fecit initium signorum. At dicet quis, quod licet fuerit initium signorum, non tamen omnium, sed eorum quæ in Cana Galilææ. Nam quum plura ibi fecerit signa, hoc tamē primum fuit. Et hæc quidem illi dixerint. Nos autem, quamuis multa habeamus ad monstrandum, quod initium fuerit omnium signorum: etenim quum dicit, manifestauit gloriam suam. & crediderunt in eum discipuli eius: indicat quod ante hoc non fecerit miraculum aliud, ab illo enim manifestauit gloriam suam: attamen nō refert siue hoc, siue aliud fuerit prius. Quomodo autē manifestauit gloriā suā? Nō multi inter fuerant, neq; coram populo fuit factū: quamuis enim non tunc, sed postea miraculum hoc audituri erant oēs. Vnde usq; in hūc diē celebraē, & in occulto nō est. Quod autē & discipuli eius crediderint in eū, ita intellige: hoc est, fidē ampliōrē & firmiōrē acceperint,

Quia & prius quidem crediderant, sed non tam firmiter.

Post hæc descendit Capernaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus. Et in propinquo erat pascha ludæorum, & ascendit Iesus Hierosolimam, & reperit in templo eos qui uendebant boues & oues, & columbas, & nummularios sedentes. Et quum fecisset flagellum ex funiculis, omnes eiecit de templo, oues simul ac boues, & nummulariorum effudit æs, mensasque subuertit. Et ijs qui columbas uendebant, dixit: Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei domum mercatus. Recordati uero sunt discipuli eius quod scriptum est: Zelus domus tue exedit me.]

psal. 68

Descendit in Capernaum dominus, non alterius usus gratia, quam ut matrem suam illic residere faceret, ut ne illam ubique post se traheret. Quonia enim ad nuptias uenerant in Cana, nuptijs habitis abducit matrem in domum suam in Capernaum. Manifestum autem, quod propter hanc causam descenderit in Capernaum, ex eo quod neque multis illic manebat diebus, neque miraculum illic faciebat. Increduli enim erant eius ciuitatis uiri, ideo & alio loco dominus eam miseram esse dicit. Quod autem dicit Euangelista fuisse prope pascha, ostendit quod non ante multos dies paschæ fuerit baptizatus. Porro ubi ascendit in Hierusalem, rem fecit magnæ autoritatis: Vendentes enim

Matth. 21.

oues & boues eiecit. Iam quod factum hoc & Matthæus commemorat, scias quod non semel hoc Christus fecerit: sed hoc quod Matthæus commemorat fecit prope tempus passionis: quod autem apud Ioannem, in exordio signorum. Idcirco hoc loco adnectit, dicens: Ne feceritis domum patris mei domum mercatus. Initium enim signorum adhuc erat. Et nondum tanta signorum ostensorum erat autoritas. Illic autem apud Matthæum dicit: Non facite (inquit) speluncam latronum. Manifeste enim illos latrones nominauit, quod ex iniustis modis lucrum facerent. Quando enim quis ex eo quod parui precij est, multum petit precij, & a pauperibus fortassis & uiduis lucrum corrādīt, sicut serme solent hi qui necessaria uendunt: quid aliud quam opus latronis facit, ex calamitatibus aliorum lucra comportans? Et quare illos in templo eiecit? non immerito. Quia in sabbato sanaturus erat & soluturus legem, ut ne uideatur contrarius deo, corrigit hoc loco opinionem illam. Neque enim tantum zelum propter domum ostendens, spreuisset deum dominum domus. Non enim simpliciter eiecit, sed & flagello plexo percutit: & subuertit mensas, & lucrum, hoc est pecuniam nummulariorum effundit. Et opus periculosum attemptans, non se in periculum coniecisset pro domo dei soluens legem dei, ut aduersarius: sed omnino ut filius dei, & æqualem habens potestatem patri qui legem de sabbato statuerat. Ideo autem non dixit, domum dei: sed, domum patris mei: ostendens quod potestatem habeat sicut filius patris omnium. Nummularij autem, qui & collybistæ, sunt hi qui parua nomismata uendunt.

κολλυβος

Collybos enim apud Græcos minutum nomisma est, quod Rhomani nummum uocant. Multi autem ex pontificibus in hunc modum peccant. Nam & ipsi negotiatores uendunt boues in ecclesia, hoc est qui præstantes in uerbo doctrinæ, non iuuant, sed tradunt his qui affligere uolunt. Insuper & oues, hoc est simpliciores & communem populum: & columbas, hoc est spiritualia dona uendunt, & maiores dignitates conferunt his qui plura dant: quos dominus eiecit ex templo, indignos iudicans sacerdotio. Ad hæc si quis talentum & nummum, hoc est sermonem & dogma uendat, & fortassis quum sit doctor, non annunciet uerbum, nisi lucrum habeat, etiam eius mensam subuertit dominus, sed dico doctrinam: & sermonem quem ille cohibet propter malitiam, non dans illum omnibus, dominus Iesus per misericordiam effundit, populisque dat, illum quidem a principatu deiiciens, & alium in doctrinam se dem collocans. Recordati sunt autem discipuli eius, quod scriptum sit: Zelus domus tue comedit me. Paulatim enim incrementa boni sumentes, & scripturarum recordantur, inde testimonia recipiendo, & firmiorem de Christo scientiam apud se constituendo.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quod ista facias? Respondit Iesus, & dixit eis: Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis constructum est templum hoc, & tu in tribus diebus eriges illud? At ille dicebat de templo corporis sui. Quum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quod hoc dixisset: & crediderunt scripturæ & sermoni quem dixerat Iesus.] Postquam uiderunt Iudæi dominum magna potestate hæc facere & dicere, ne feceritis

ne feceritis domum patris mei mercatum. dicunt: Persuade nobis signo aliquo, quod filius dei sis tu, & quod illinc missus sis. Vnde enim manifestum, quod pater tuus sit qui domus illius est dominus? At ille per ænigma eis respōdit: Soluite, dicens, templū hoc: corpus omnino suum dicens, eo quod in ipso habitabat omnis diuinitas unigeniti. Vbi autē dixit, Soluite, nō exhortatus est ad cædem, absit: sed quoniam sciebat facturos certō, euenturum affirmat. Audiant uero Ariani, quomodo sicut dominus & mortis destructor dicat, Excitabo: non enim dicit, Excitabit pater: sed, ego excitabo, propria uirtute usus, nullāq; externa indigens. Caterū Iudæi de inanimato templo ipsum dicere autumantes hoc derident eū: Quū quadraginta & sex annis sit ædificatum, quo pacto (dicunt) tu dicis in tribus diebus te excitaturum? Sciendum autem, quod quando à Solo mone templum primo extructum est, uiginti annis omnia perfecte absoluta fuerūt: postea autem post captiuitatem, Hebræi accepta potestate illud reædificandi, cœperūt quidem sub Cyro rege ædificare, impediti autem ab his qui inuidebant eis, prorogarunt structuram usq; ad Artaxerxen regem, sub quo nacti omnium rerū copiam, omni studio uix potuerunt perficere opus. Vnde & dicitur, Iudæos ædificantes altera manu gladium, altera ædificatorium instrumentum tenuisse, usq; adeo timebant uicinos Idumæos, non autem Persas, à quibus (ut dixi) omnes accipiebāt sumptus. Istam itaq; structuram quæ post captiuitatē, aiunt quadraginta sex annis factā, eo quod prohiberentur & impediretur Iudæi à Cyro usq; ad Artaxerxen. Et non est miraculum, quod Iudæi miraculum non agnouerint, quādo quidem neq; discipuli cognoscebant. Obstabāt enim duo magna: unum quod resurrectio per se tam difficilis captu, immo omnibus ignota esset, alterum quod deus corpus eius inhabitaret. Etenim post resurrectionē cognouerunt discipuli, & crediderunt scripturæ. Cui scripturæ omni quæ de resurrectione tradit, manifestissime autem ei quæ dicit: Nō dereliques animam meam in inferno. Et illis: Dominus uoluit purificare eum à plaga, ostendere lumen. Manifeste enim illa de resurrectione dicuntur. Apollinarius autem tentat hoc loco patrocinium suæ hæreseos inuenire. Volens enim persuadere inanimatam esse carnem domini, dicit quod templum dicatur caro, templum autem inanimatum sit, inanimata ergo & caro est. Attonite & uersute: tu autem & ligna & lapides domini carnem facies, quando quidem ex his est templum. Quando autem audieris dominū, Nūc turbata est anima mea, & Potestātē habeo ponēdi animam meam: quomodo ea intelligis? Quod si tu non de mentali & rationali anima hæc dicta asseris, quò referes hoc: Pater in manus tuas cōmēdo spiritum meum? Vtiq; hoc de inanimata anima non intellexeris. De hoc autem, Non dereliques animam meam in inferno: quid tibi uidetur? at tu propter tua corrumpis.

Quum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius, uidentes signa eius quæ ædebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes: nec opus haberet, ut quisquā testaret de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

CAPVT III.



Rat autem homo ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quod à deo uenisti magister. Nullus enim hæc signa potest facere, quæ tu facis, nisi deus sit cum eo.] Videbantur quidem nonnulli credere in nomine Iesu, quum esset in festo, sed non firma illorum fides erat: ad tempus enim attendebāt Christum, non ut deo, sed ut homini qui deo afflabatur: ac iterum à fide illa contemptibiles excidebant. Nam quod tales fuerint, manifestum ex sequentibus. Iesus enim ipse, inquit, non credebat se eis: neque omnia dogmata, ut his qui uere credunt, concedebat. Scrutator enim est cordium, & scit quid sit in homine. Non enim ignorat quales sint cogitationes in singulis hominibus. Ferme & Nicodemus talis erat, qui & ipse credebatur Iesu, ut uideat pro domino contra Iudæos loqui, quod oporteat cū scrutatione, & ex animo cōdemnari illum: sed post crucem multum officij & liberalitatis in sepultura.